



## De Cœna Domini.

**C**H R I S T E, tuam sociis commendas ore fidelis  
Cœnam, visq̄ aliis pane, meroq̄ dari,  
Ut sub ijs corpusq̄ tuum, sanctumq̄ cruorem  
Escam sumamus corporis atq̄ animæ.  
nde ut credamus te crimina nostra piâsse  
Iustitiamq̄ tuo promeruisse λύτρω.  
Nosq̄ ita per sanctæ sanctissima vulnera mortis,  
Omnes æterno conciliâsse patri.  
Teq̄ fide vera toto fateamur in orbe,  
Fata crucis fuerint seu patienda necis.  
Quin tibi de memori promamus pectore grates,  
Vnanimi sensu, dogmate, voce, fide.  
Deniq̄ sic omni degamus tempore vitam,  
Possit ut hæc animo tota placere tuo.  
Æternæ donec capiamus gaudia vitæ  
Quæ tum nectarei plena saporis erunt.

I. M.

DE SA-